1b
33

PETRO JOSEPHO GRANERI

DD. MAURITII ET LAZARI

EQUITI COMMENDATARIO

REGIÆ ACADEMIÆ ALUMNO

IN TAURINENSI LYCÆO

JURIS UTRIUSQUE LAUREA DONATO

GRATULATUR

FELIX NICOLAUS DURANDUS
TAURINENSIS.

AUGUSTÆ TAURINORUM MDCCL.
Excudebat JOANNES BAPTISTA FONTANA
SUPERIORUM FACULTATE.

BIBLIOTECA REALE TORINO 1870

Hoc tibi, quod potui, confectum carmine munus
Pro multis aliis redditur officiis

Catull. Eleg. ad Mallium.

35

EQUITI PETRO JOSEPHO GRANERI.

FELIX NICOLAUS DURANDUS S. D.

HOC leve obſequii mei, & lætitiæ, qua ſum perfuſus, monumentum, EQUES Clariſſime, ſi quadam veluti neceſſitate impulſus non eſſem, jucundiſſimo tempore haudquaquam tibi præberem. Plane enim mihi cognitum, atque perſpectum eſt, quam moleſte laudari te feras. Verum quum prope nullos æque ac te me amantes & obſervantes habeam, grave & acerbum mihi eſſet quoddam grati animi pignus fauſtis hiſce diebus tibi non dare, boniſque omnibus reprehenſione dignus viderer. Accedit etiam quod parum ex meis verbis detrimenti patietur modeſtia tua;

quas enim res ego commendo, in omnium quaſi oculis a te geruntur, jamque omnium laudibus ſunt cumulatæ. Mirabitur fortaſſe quiſpiam, me Italicæ Poeſi præſertim addictum Romano ſermone tibi exaraſſe parvulum amoris mei hoc teſtimonium: mirari deſinet vero, quum magnitudinem ſtudii, quo te ſemper ſum proſecutus, dignoſcet; & quantum tu operæ politioribus impendas literis, & præſertim latinæ linguæ, cujus valde delectaris auctoribus compertum habebit. Si mihi otii multum eſſet, majora conſcripſiſſem profecto. Verum gravioribus diſtentus curis, quæ mihi adimunt tempus, properans hæc tantum confeci; quæ ſi læta & benigna fronte accipies, novum benevolentiæ tuæ ſignum habebo, quo obtento nihil deeſſe mihi arbitrabor.

Cur ita formidas prodire in luminis auras,
Lectorumque manus, parve libelle, fugis?
Horres, ne temera fundens convicia lingua
Dente venenato te mala turba petat?
Nunc vulgus scribit Musis, & Apolline lævo
Carmina tardipedi projicienda Deo;
Quæque tamen volitant populo plaudente per urbes,
Dum sacra polluto labitur unda pede.
Nomen habes clarum titulis, & honoribus auctum
PETRI, cui decorat docta corona caput.
Excute corde metus: audax hunc desere nidum:
De te perpetuo fama loquetur anus.
Si tamen occurret quisquam tibi fronte severa,
Atra cui tumeat pectore bile jecur;
Stultos in nostri criticos incommoda secli,
Dices, promta meus cornua tollit herus.

Hic cupit infidis committere carbaſa ventis,
Ille feri ſequitur martia caſtra ducis:
Ilicis antiquæ mi eſt dulce jacere ſub umbra,
Dum circumſiliens carmina cantat avis;
Et modo jam ſeſſos & victos claudere ocellos
Ad crepitans murmur prætereuntis aquæ;
Et modo vocales impellere pollice cordas.
Dum veho GRANERI nomen ad aſtra mei;
Qui docta æterna redimitus tempora lauro
Jam volitat clarus multa per ora virum.
Hic non divitias, non nomen inutile jactat,
Nec mentem falſis paſcit imaginibus
Verum virtutis cuſtos, rigiduſque ſatelles
Res ſpernit penna diffugiente leves:
Præruptiſque viis ad lucida ſidera tendit,
Quo divini illum flaminis aura rapit.

Vallis

Vallis ab aterna campis ſi forte rediret
Eliſiis Genitor, dulcis amice, tuus;
Et te facunde ſancto de jure loquentem
E cathedra attentis auribus exciperet;
Lauri ad odoratum viridis nemus inde revertens,
Quod Phœbus veſtit lumine purpureo,
Queis comes ire ſolet gravibus tunc diceret umbris,
Gaudia ſollicito pectore multa fovens:
Plaudite mi, ſocii, luce hac, & fundite verſus,
Atque omnis lato murmure ſylva ſonet:
Unicum ego gnatum, ſuperis qui veſcitur auris,
Et clauſit tenera lumina noſtra manu,
Vidi hodie juvenes ornatum fronde capillos,
Qua ſacer intonſas cingit Apollo comas.

O Dulces Comites, cohors ſuavis,
Qua ludis numero modo hoc, modo illo,
Scribens verſiculos Catullianos,
Queis multum ſalis, ac facetiarum
Eſt, ſi dent bona Di Deaque vobis,
Ridete; & tenerum meum ſodalem,
Quem laudant homines politiores,
Et mi carior eſt mea ſalute,
Ad cœlum lepido vocate verſu:
Nam ſi quidquam animo meo cupivi,
Nunc opto hendecaſyllabos venuſtos,
Ut laudes referam mei JOSEPHI,
Cujus tempora ſunt Apollinari
Jam circumdata laurea decenter.
Hunc florem juvenum modeſtiorum
Non ſi Pegaſeo ferar volatu
Poſſem pro merito ſuo perenni,
Et deſiderio meo nitenti
Verbis ſumma novis ad aſtra ferre.
Ejus nam lateri fides, pudorque,

Veritatis

Veritatis amor, modique puri,
Aut ſi candidius poteſt quid eſſe
Harent, & cupide fovet puellas,
Quas vertex peperit Jovis Supremi.
Hic narrat loca, facta nationum
Quæ ſunt, ac aliis erant in annis.
Hic callet latia locutionis,
Et Tuſca veneres, meros lepores.
Audite, ut nitidis & eruditis
Verbis jus referat novum, vetuſque,
Ac ut nunc ſapiens patrum corona
Applaudit tacita probatione?
Quid me latius eſſet, integellum
Si poſſem ſatis elegante lingua
Laudare hunc ſocium, e meis amicis
Qui antiſtat mihi millibus trecentis?

Quum ſua Romanis admovit acumina chartis,
E quibus imperii maxima jura fluunt,
Hic, cui jam frontem circumdat delphica laurus,
Fatidicos Paullus fudit ab ore ſonos:
Noſtra premens valide firmis veſtigia plantis
PETRUS erit Latii gloria magna ſoli.

Quos potis Aonios mea mens eſt promere fœtus,
Omnes nunc promit, candide amice, tibi:
Et narrat quantum Parnaſſia gaudeat arbos
Tam doctis frondes implicuiſſe comis,
Ne forte immemori necquiquam credita, noſtro
Effluxiſſe animo jam benefacta putes.

Non

Non ſic aerii præceps e vertice collis
Rivus, qui viridi gramine pingit humum,
Decurrens ſalicum denſa, gelidaque ſub umbra
Salſum frigidulis ad mare tendit aquis:
Nec tantum experta in flavo Ganimede fidelis
Prapetibus pennis ſidera pulſat avis,
Quum quatit ardenti curru Pater altus Olympum,
Et jacit irata ſulmina dira manu:
Quantum difficili virtutis tramite greſſus,
Vitans fallacis cæca pericla via,
Hic celerat juvenis claris genitoribus ortus,
Cujus docta virum pendet ab ore cohors,
Ut cito perveniat prærupti ad culmina montis,
Splendet ubi nitido gloria pulchra throno.
Unguibus a teneris ejus flagrabat amore,
Verum majori fertur ab igne modo.

O Felix Mulier felici nupta marito,
Quam juvenem mortis diripuere manus,
Ac inter Divos celſa nunc ſede recumbens
Purpureo calicem nectaris ore bibis:
Dic mihi quam tacite pertentant maxima pectus
Hac vere lata gaudia luce tuum,
Quum frontem docti circumdet Apollinis arbos
Gnati, quem tecum mirus alebat amor:
Gnati, qui Sophiæ captus dulcedine voces
Sirenum, & Circes pocula dira fugit,
Quique vigil lecto non ponit ſæpe lacertos,
Splendet dum medio candida Luna polo,
Ut juris nodos, & legum anigmata ſolvat,
Quo fonte in patriam pax veneranda fluit.

Nunc

Nunc lati pedibus terram pulſare, ſodales,
Nunc vincire nova tempora fronde juvat,
Fumoſumque cadum cellis depromere avitis,
Et digitis vacuæ tangere fila lyræ.
Nam gerit Aonium GRANERI vertice ſertum,
Quod nequit irati cadere dextra Jovis.
Optimus hic Juvenis ſplendore inſignis avito,
Auratis vinclis quem mihi junxit Amor,
Eſtque, adeo cordi eſt, vita mihi carior ipſa,
Seu quid vita ipſa carius eſſe poteſt.
En circumcingit frontem mihi pulchra corolla
Florum, queis tellus vere ſuperba nitet:
Et reſtinguo modo ſpumantis pocula Bacchi,
Ut mea divinum pectora numen agat.
Excipite interea facili qua proloquor aure:
Non audita prius nunc ego verba cano.
Sidera, & humentes cœlo dimoverat umbras
Vecta ſuper tyrias candida Diva rotas;
Et leviter tacitis percurrens aera pennis
Claudebat noſtros grata quies oculos.

Inſueta

Inſueta quadam cum pulſus luce, repente
Somnus Cimmeria fugit ad antra domus:
Tunc ambabus ego manibus mea lumina tergens
Erexi paullum membra ſopita toro,
Cognovique Deum cithara fulgente decorum,
Aureolas Xanthi qui lavit amne comas.
Errabant crines per eburnea colla fluentes,
Et circum ſerpens Delphica laurus erat.
Dulcem ſpirabat flavo de vertice mirrham,
Qua permulſa, novo riſit odore domus.
Aſt mihi membra cito gelido riguere timore,
Et fui inaurata pallidior ſtatua.
Extrema in ſponda leviter caput ille reflectens
Tunc ſuavi tales edidit ore ſonos.
Quid, dilecte, times, non noſcis numen amicum,
Omnem quod clara lampade luſtrat humum?
Surge toro, muto cur linguam claudis in ore
Signanda hac ſaxo candidiore die?
Undique nunc verſus liquidas jactentur ad auras,
Et ſonet arguto pollice tacta chelys.

Dulce

Dulce etenim patriæ columen, rerumque tuarum
GRANERI, placido lumine quem video,

Æterno ornatur Peneæ frondis honore
Virtutiſque refert præmia digna ſuæ.

Enarra, multos ut pertulit ille labores,
Aſſidua volvens ſcripta diſerta manu;

Vtque viis duris verum ſectatur honorem,
Quam Sophiæ dulci tactus amore ſtudet!

Dic quam juſtitiæ ſuſpecto vindice tanto
Teſtetur plauſu gaudia magna ſuo

Gens inviſa Deæ, quæ incertos mutat honores,
Ærumniſque malis undique ſepta jacet;

Quot mœſtis cœlum fraus nunc clamoribus implet,
Pallida quot crebris ora rigat lacrymis.

Sic puer irato flet præceptore, tenellum
Cui conſcribillant verbera dura latus.

Dic quod cæruleum gelidis caput extulit undis
Lætitiæ præbens maxima ſigna Padus:

Cujus formoſæ ſidunt in littore nymphæ,
Dum virides religant poſt ſua terga comas:

Et

Et celebrant blanda ſapientem voce JOSEPHUM,
Cui cingit doctum laurus amica caput.

Eja age, ſume lyram, verſuſque exprome ſuaves,
Te decet hunc feſtum concelebrare diem.

Candidus ille tibi fulſit, quum junxit amicum
Hunc immortali fœdere dulcis amor.

Eſt tibi candidior tamen hic, quo dicere laudes
Voce potes liquida, quam tibi Muſa dedit.

Aſt quum purpureis abiit ſonus iſte labellis
Divi, Pimplai qui juga montis amat,

Ædibus e parvis velocibus ocior auris
Fugit diffundens purius ore jubar.

Interea tacitus tunc ima per oſſa cucurrit
Ardor, quo Flaccus ſæpius actus erat,

Diceret Auguſti forti quum carmine laudes,
Et caneret latis regia bella modis

Manat adhuc tenues ſervens hæc flamma per artus,
Æſtuat & ſummo mens agitante Deo:

Nimboſo veluti ventorum turbine prenſa
Fluctuat in magno parvula cymba mari.

Nunc

Nunc decet hoc ramo crines ornare virenti,
Nunc hilari tellus eſt quatienda pede:
Nunc decet ardenti cyathos implere Falerno,
Quem Semeles natus tyrſiger ipſe probet:
Dulce mihi furere eſt doctum laudando JOSEPHUM:
Eſt hic quippe meæ maxima pars animæ.

ANtea Erythreæ numerum ſubducat arenæ,
Et quæ nocte micant computet aſtra manu,
Qui cupiens magnas componere carmine laudes,
PETRE, tuas, cythara dimovet arte fides.
Id tantum dicam; tali ſe jactat alumno
Hæc Equitum nutrix Rege favente domus;
Cujus ad extremos penetravit fama Britannos,
Atque ubi perpetuo frigore terra riget.

Gorgoneum

Gorgoneum fontem, ſummi Jovis inclita proles,
Rupis & Aonia linquere perge ſpecus,
Regaliſque Padi greſſus ad littora confer,
Urbs ubi cultori ſurgit amica tuo:
Et mihi dilectum cupido celebrare JOSEPHUM,
Quem miſcent lauri pramia docta diis,
Carmina praſcribe aternis aqualia rebus,
Ne careat dulci nomine charta mihi.
Si non das dextram, nequeunt ſubſiſtere vires:
Tantum humerus noſter ferre recuſat onus.
Quis canat ut priſcos majorum vincat honores,
Atque atavis magnum ſit decus ipſe ſuis;
Utque ejus numquam ſcabra rubigine nomen
Tanget venturi temporis ulla dies?

Vulgus

Vulgus iners abeat, cedant animaque profana.
Conſcripti Patres, ore favete mihi.

Nunc ego muſarum cantu depromo Sacerdos
Quæ Deus obſcura condere nube ſolet.

PETRUM, qui eſt mira de legibus arte locutus,
Quem circum populus plaudit utraque manu,

Civica ſeu ſumat pro infirmis arma pupillis,
Atque acuat cauſſis verba diſerta fori,

Seu petat ante diem doctum cum lumine librum,
Verſet & attentis publica jura notis,

Humanique vias animi penetrare latentes
Quærat, & antiqui temporis hiſtorias,

Evehet ad magnos Pater, & Rex noſter honores,
Rex bello invictus, conſilioque potens,

Quo Di nil terris majus meliuſve dedere,
Nec quamvis redeant aurea ſecla dabunt.

Qua plumis mulier polo
Deſcendens levibus dividit æthera,
Et ramum gerit arboris,
Qua ſpernit Jovis ardentia fulmina,
Eſt, divina Themis, tuo
Docto quæ capiti ſerta virentia,
Æternumque decus parat,
Quod nullum poterit tangere ſæculum.
En laurum modo Delphicam
Ejus recta manus, PETRE, tibi implicat,
Dum, flumen velut imbribus
Extenſum variis deſilit alpibus,
Sermone e cathedra ruis.
Tanta jam loqueris tu ſapientia!
Lætantur ſocii tui,
Et circum reſonant mœnia plauſibus.
O felix ter, & amplius
Tu, quem tam gravibus tollit honoribus
Hæc ſpectanda Patrum cohors,
Quos blande fovet Aſtræa ſinu ſuo.

Tu ſacra nitidus toga,
Et cinctus viridi tempora laurea
Clarus laudibus omnium
Monſtraris digito prætereuntium.
Verum carminibus novis
Quum laudare animi dimidium hunc mei
Pro deſiderio haud queam,
Nam vires cupidum deficiunt cito,
Et facunda parum bono
Iſta luce cadit lingua ſilentio,
Signabo nitida nota
Hunc, quo non oritur candidior, diem.

QUum viridis ſerpat circum tua tempora laurus,
Hanc eſſe aternam dicere jure queo.

Frigida

Frigida non ſemper Pindi me detinet umbra,
Atque os Pierii fluminis unda rigat;
Verum quum linquo lucos & amœna vireta
Suaviter in gremio me Themis alma fovet;
Et legum rectos evolvens ſæpe libellos
Atra dente minus mordeor invidia.
Aſt nunc te cernens umbras tenebraſque fugantem,
Quæ mentem denſa cingere nocte queunt,
Eloquium ſpargis dum tanta luminis arte,
Ut ſtupeat mecum docta corona Patrum,
Verſiculos aliquot tacito ſub corde voluto,
Et tibi grata meus pignora præbet Amor,
Ac alios facerem cytharam pellendo loquacem,
Quum fluat ingenii vena benigna mihi;
Si non aſſidue vox iſta ſonaret in aure:
Non ſunt tam parvis hæc tenuanda modis.

Non ita cervicem circum ſita pluma columbæ
Enitet ad fontem proſilientis aquæ,
Vt pulchræ PETRI fulgent in pectore dotes,
Præcingit lauro cui Themis æqua caput.
Has numerare labor parvis eſt viribus impar,
Nec grandi Phœbus mi dedit ore loqui.

Qui veis magnum ingenium, pulchraſque fideliter artes
A primis annis ſors didiciſſe dedit,
Hi referant quantos pariat tibi Laurus honores,
Laurus doctrinæ debita, PETRE, tuæ.
Mi vero infirmo, quem terret cognita virtus,
Si mox deficio, ſit voluiſſe ſatis.

O Dilecte mihi VICTOR, quem candida natum
Excepit tenero Calliopea ſinu,
Qui celeres ventos, & flumina voce moraris,
Lucis & auritum poſt tua verba nemus:
Quum mihi amicitiæ devincto fœdere PETRO
Exornent hodie laurea ſerta comas,
Fudi verſiculos divino percitus æſtu,
Quos non difficili lumine Apollo videt,
Hunc celebrans juvenem, qui primo eſt flore juventæ,
Dulce decus patriæ, præſidiumve meum,
Conſtanterque ſequens veſtigia gentis avitæ,
Expandit juſtæ condita ſenſa Deæ:
Hos tibi nunc vero mitto: tu namque ſolebas
Eſſe aliquid, nugas, CIGNA, putare meas.

FINIS.

060992

Digitized by Google